

### **1537 juliol 23. Casa del Consell General**

*Els representants del Consell General de les valls d'Andorra nomenen Joan Torres, de Sispony, parròquia de la Massana, i Pere Pal, de la Cortinada, parròquia d'Ordino, absent, procuradors seus a les corts generals que s'han de celebrar a Montsó perquè, entre altres coses, puguin intervenir en nom dels andorrans i puguin demanar i obtenir privilegis i llibertats i reparació de greuges. Els antecedents d'aquesta procura estan en la constatació per part dels representants de les Valls que aquestes no estan fortificades ni protegides, que són tan aspres i estèrils que no permeten l'alimentació del bestiar ni el desenvolupament del comerç i que el capità general de Perpinyà ha gosat perjudicar el comerç amb el comtat de Foix amb gran perjudici dels habitants de les Valls.*

**R.** Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 130, fols. 106-107.

**a.** PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 148-149.

Noverint universi quod nos, Ioannes Raymundus [Fontana, consul], Petrus Martir Viciat, consiliarius, [omnes parro]chie de Canillo, Bortholomeus Berenguer, Petrus Martí, consules, [Antho]nius Pont, Bernardus Casal, consiliari, omnes parrochie d'En[camp], Ioannes Jaume, Guillermus Garreta, consules, Ioannes Cella, Anth[onius] Rossell, consiliari, omnes parrochie de Ordino, Raymundus Bons, Petrus [Ribot], consules, Petrus Martir Rull, Anthonius Torner, consiliarii, omnes parrochie de la Massana, Bortholomeus Ribot, Gervasius Moles, consules, Bernardus Vidal, Ioannes Guillermus Dolsa, consiliarii, omnes parrochie Andorre, Salvator Guisalt, Ioannes Martí, consules, Anthonius Thor et Guillermus Migavila, consiliari, omnes parrochie Sancti Iuliani de Lòria, omnes predicti habitatores vallium Andorre, omnes predicti convocati et congregati ad sonum campane in Domo Consilii dictarum vallium Andorre ad tenendum Consilium Generale dictarum Vallium, prout iam alias pro similibus negociis solitum est Consilium Generale tenere et celebrare, omnes predicti Consilium Generale facientes universitatesque et singularium dictarum vallium Andorre representantes, omnes predicti concordés et nemine discrepante, attendentes inquam valles Andorre esse positas in confinibus Fuxi comitatus et in dictis Vallibus non esse aliquas fortitudines in quibus nos retrahere possemus: attendentes inquam dictas Valles esse asperas et multum steriles quia nisi nutricione animalium et commercium dicti Fuxi comitatus nullo modo vivere possemus

ymo oporteret nos nostras mansiones et bona nostra dimittere et alibi nostras mansiones facere; attendentes inquam quemdam capitaneum generalem Perpinyani velle remove dictum comercium dicti Fuxi comittatus in grande dampnum et periudicium nostrorum, dictorum constituencium universitatis et singularium dictarum Vallium; attendentes inquam sacram, cesaream, catholicam et regiam magestatem domini imperatoris et regis Aragonum indixisse curias generales celebrandas in villa Montissoni; ttendentes inquam propter extorsionem dicti capitanei Rossillionis nos non posse comode in dicta curia Montissini adesse. Idcirco, gratis et ex nostris certis scienciis, nominibus nostris propriis universitatis et singularium dictarum vallium Andorre, habito inter nos tractatu et matura deliberacione ac diligenti colloquio, facimus, constituimus, creamus et solempniter ordinamus syndicos, actores et procuratores nostros universitatum et singularium dictarum Vallium vos, honorabiles Ioannem Torres loci de Cespony, parrochie de la Massana, presentem et acceptantem, et Petrum Pal loci de la Cortinada, parrochie de Ordino, licet absentem, et utrumque vestrum insolidum, ita quod primi ocupantis condicio pocior non existat [nec deterior] subsequentis, sed per unum vestrum inceptum fuerit per alium nichilominus mediari, terminari valeat prossequi et finiri ach dicti totaliter ad affectum et valeat tantum quantum valeret si per omnes insimul procuratum et actum fuisset sive gestum, videlicet ad comparendum et interessendum pro nobis, nominibus nostris et tocuis universitatis vallium Andorre, in dicta generali curia in villa Montissoni per sacram, cesaream, catholicam et regiam magestatem domini imperatoris celebranda, necnon ad concordandum et ad interessendum in ipsa curia et tractatibus eiusdem supplicandum que prefate cesaree, catholice et regie magestati, prout vobis et utrique vestrum videbitur faciendum, necnon ad interessendum et interveniendum in omnibus et singulis tractatibus ipsius curie faciendis et peragendis a principio usque ad finem, et ad supplicandum in curia et extra curiam dictam sacram, cesaream, catholicam et regiam magestatem domini imperatoris et suos officiales pro bono statu terre Andorre, ad impretrandum et obtinendum quamcumque gratiam, privilegium et libertatem seu franquitatem dicte terre Andorre a dicto illustrissimo domino imperatore vel a suis officialibus. Et quod gravamina nobis, dictorum constituencium universitatum et singularium de eisdem, oblata et facta per serenissimos dominos reges seu suos officiales seu capitaneos reparentur. Et ad impetrandum provisiones gravaminum et offerendo verbo aut scriptis quecumque gravamina nobis et dicte terre Andorre facta et oblata, tam in dicta curia quam coram ipsis provisoribus gravaminum deputandis, et ipsa gravamina prossequendum et eorum causas ducendum, tractandum et finiendum, iuramenta

quecumque in animas nostras dictorum constituencium dictarum universitatum et singularium dictarum Vallium prestandum et ex adverso prestari requirendum et postulandum, necnon comodum et utilitatem tocius terre Andorre utilia et opportuna laudandum, aprobandum contradicendumque et discenciendum ach protestandum eiis omnibus et singulis que contra libertatem predictarum vallium Andorre ach personarum eiusdem, quod absit, tractarentur seu ordinarentur, et aliis omnibus quibus contradicendum et protestandum fuerit protestandum, et nichilominus cuicumque dono sive proferte dicte sacre, cesaree, catholice et regie magestati faciendis si et ubi expediat, et denum, omnia alia et singula in predictis et circa predcita necessaria et opportuna faciendum et ex libere excercendum. Nos enim, dicti constituentes, [discrecionibus] in et super predictis omnibus et singulis que in dicta curia tractabuntur donamus vobis potestatem plenissimam consenciendi et discenciendi et huich sindicatu addere si quid substancie vel solempnitatis ad exequendum contenta in presenti sindicatu necessarium fuerit quemadmodum vobis videbitur faciendum, indicum et indicos, actores et procuratores, unum vel plures, substituendum et eum vel eos destituendum et revocandum dum et quando vobis, dictis indicis seu altero vestrum, videbitur fieri et expediri. Et generaliter, omnia alia et singula faciendum pro nobis, dictis constituentibus et singularibus dictarum universitatum, super predictis et circa ea deppendentibus seu emergentibus ex eisdem adherentibus et connexis et ea tangentibus quoquo modo quecumque sint ad hech utilia et necessaria ach etiam oportuna, et que nos, dicti constituentes, universitas et singularium dictarum vallium Andorre facere possemus si personaliter in predictis essemus. Et volentes vos, dictos indicos, actores et procuratores vestros substituendum vel substituendos a vobis super predictis relevare indempnes ab omni onere satisdandi etiam si maiora, graviora seu duriora fuerint superius expressatis. Nos enim, dicti constituentes, nominibus nostris propriis et dictarum universitatum et singularium earundem, constituimus vobis, dictis indicis, actoribus et procuratoribus et unicuique vestrum et substituendum vel substituendos a vobis, super predictis omnibus et singulis et super deppendentibus seu emergentibus ex eisdem et ea tangentibus quovis modo plenarie vices nostras et dictarum universitatum et singularium earundem, plenam, liberam et generalem administracionem cum plenissima facultate et potestate comittimus. Et promittimus nos, dicti constituentes, nominibus nostris propriis et tocius dictarum universitatum et singularium earundem, vobis, dictis indicis, actoribus et procuratoribus et substituendo vel substituendis a vobis, et notario eciam infrascripto, tanquam publice persone pro vobis et aliis etiam personis omnibus et singulis quarum interest, intererit

recipienti, paciscenti ach etiam legitime stipulanti, nos semper habere ratum, gratum, validum atque firmum omne id et quichquid per dictos syndicos, actores et procuratores nostros et substituendum vel substituendos a vobis super predictis omnibus et singulis et super dependentibus seu emergentibus ex eisdem pro nobis et dictis universitatibus et singularibus earundem procuratum et actum fuerit sive gestum et nullo tempore revocare sub yppoteca et obligatione omnium et singulorum bonorum nostrorum et cuiuslibet nostrum insolidum et dictarum universitatum et singularium earundem mobilium et immobilium, presencium et futurorum. Et pro maiori corroboracione predictorum, iuramus in animas nostras et singulatium earundem universitatum per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus nostris et cuiuslibet nostrum corporaliter tacta et sub omni et utriusque iuris renuntiatione ad hech necessaria qualibet pariter et cautela.

Actum est hoch in Domo Consilii Andorre, die vicesima tertia mensis iulii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

Sig+++++na Ioannis Raymundi Fontana, Pertri Martir Viciat, Bortholomei Beringuer, Petri Martí, Anthonii Pont, Bernardi Casal, Ioannis Jaume, Guillermi Garreta, Ioannis Cella, Anthonii Rossell, Raymundi Bons, Petri Ribot, Petri Martiris Rull, Anthonii Torner, Bortholomei Ribot, Gervasii Moles, Bernardi Vidal, Ioanni Guillermi Dolsa, Salvatoris Guisalt, Ioannis Martí, Anthonii Thor et Guillermi Migavila predictorum, qui hech, dictis nominibus, laudamus, concedimus, firmamus et iuramus, presentibus testibus Raymundo Farrer, d'Albinyà, et Ioanne Capdevila, de Certés, omnibus habitatoribus parrochie Sancti Iuliani de Lòria pro testibus ad hech vocatis specialiter et assumptis<sup>1</sup>.

1. *No hi ha cap element que ens indiqui si es va fer la redacció del document en pública forma.*